DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE PLEURITIDE VERA & EXQUISITA.

QUAM

ANNUENTE DEO OPT: MAX:,

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. ANTONII SCHULTINGII,

J. U. D. ET ANTECESSORIS ORDINARII.

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS *Academici Conſenſu*, *& Nobiliſſimæ Facultatis* MEDICAE *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſquè in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Eruditorum Examini ſubmittit

JOANNES FAGEL LE MORT, Hag. Bat.

Ad diem 26. Auguſti 1717. *horâ locoque ſolitis.*



Apud. VID. C. BOUTESTEYN. & FIL. Lugduni Batav. A°.1717.

DOCTISSIMO, CLARISSIMO

VIRO

D. JACOBO LE MORT,

MED. DOCT. ET CHYMIÆ AC MEDICINÆ IN HAC CELEBERRIMA UNIVERSITATE PROFESSORI FAMIGRATISSIMO, COGNATO PATRIS LOCO HABENDO, PRÆCEPTORI ET MÆCENATI AMANTISSIMO, AD CINERES USQUE VENERANDO,

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM, SEQUE TOTUM EA, QUA PAR EST, SUBMISSIONE ET REVERENTIA

D. D. D.

JOANNES FAGEL LE MORT.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE PLEURITIDE VERA & EXQUISITA.

§. 1.

PLeuritidis Theöriam & Praxin brevi quidem, at (quantum potero pro viribus) potenter tamen ex initiis Medicis pro Diſſertatione Inaugurali derivaturus, de illius Etymologiâ, ſatis notâ, aliqua tantum ſignabo; Eam nempè à loco morboſo (Latere ſc.) denominationem acquiſiviſſe: Etſi parietibus circumferentiæ Coſtarum lateralibus aliquando intactis, anterius verſum Os Sternum & Jugulum pergendo, illic loci atrociter furit, & ſubindè retrorſus ad Oſſa Homoplatæ, aut Coſtarum tuberoſos Proceſſus, Spondylorum Dorſi cavitatibus conjunctas, ac validis ligamentis nexas deflectendo, ibi crudelis ſeveritatis ſuæ lanceas projicit, atque tunc ab HIPPOCRATE *lib.* 3. *Morborum nominatur* πλευρῖτις ἐν νῶτω, *hoc eſt Pleuritis in Dorſo.* à Medicis etiam vocatur Morbus Lateralis, Lateris, Coſtalis,

Punctura Pleureſis; ab Arabibus Soſati, Pleureſis & Birſen; ab Aliquibus autem Telum, ex doloris pungentis ſimilitudine & ſævitiâ eum eo, cauſato per telum Pectus perforans, unde anxietas Præcordiorum maxima.

§. 2.

Intermedia Machinæ humanæ Cavitas præterquam publica Integumenta & Muſculos Coſtis, duplici Muſculorum Intercoſtalium, obliquè ſeſe interſecantium propagine, extrinſecâ nempè & intrinſecâ, colligatos, quaſi oſſeis circumcingitur cancellis, à parte anteriori Os Sternum, à poſteriori vero Vertebræ Dorſi duodecim muniminis inſtar ſunt; Demum ad decens fortitudinis ſupplementum afferendum, internè Membrana nervoſa candida, Pleura dicta, fibrarum compage valida & dura, cavam Pectoris ſuperficiem ab omni latere circumdat, glabritie ſuâ Pulmonibus grata, quibuſcum ſæpè in diſtinctis locis ſparſim concreſcendo, unum veluti corpus efficit, ut Cadaverum Hominum diſſectiones demonſtrant. Arteriis & Venis, non ſolummodo ab Intercoſtalibus, aſt quoquè Mammariis & Diaphragmaticis, ac Nervis, ab Intercoſtalibus oriundis, maximè abundare Pleuram, hodierna Anatomia, abdita humani Corporis pandens, ad oculum teſtatur.

§. 3.

Diſcrepantias Pleuritidis, ſcitu præcipuè utiles, ſecundum cauſæ ejus Materialis diſtinctam naturam duas ponunt Medici: Prima eſt Exquiſita aut Vera: Secunda Notha vel Spuria. In Ultimâ Dolor eſt diſtenſivus & gravativus, ob vapores viſcoſos frigidos, in vicinis Pleuræ locis congregatos & retentos; Febris in eâ non adeſt continua, ſed intermittens, à Doloribus nunc miteſcentibus nunc recrudeſcentibus; Reſpiratio facilior; raro Thorax Tuſſi quatitur; Phlegmata nec ſanguinea nec ſanioſa exſcreantur; Diæta ut plurimum præivit frigida; Vultus ſanguineo colore nequaquam tinctus; in Latus affectum cum labore decumbunt; Chronica eſt, & aliquando per annos perſeverans.

Ul-

Ulterius dividitur Pleuritis in Eſſentialem & Symptomaticam, Febres Synochas, aut alios cum pertinaciâ reſtantes febriles Ardores ſocians. Derelictis enim differentiis, Pleuritidis Veræ & Exquiſitæ, cujus Cauſas & Curam præ cæteris explicare jam deliberatum habui, Definitionem hanc profero, nimirum *eſt Inflammatio Membranæ Pleuræ ac Muſculorum Intercoſtalium, cum Febre acutâ continuâ, Dolore Lateris punctorio & vehementi, difficili Reſpiratione, Tuſſi moleſtâ, ſputo cruento, Pulſu celeri.*

§. 4.

Inter Cauſas Procatarcticas hujus Morbi annumeratur Aër, Aquilone commotus, aut Sirii fervore æſtuans, potiſſimè ubi ab Exercitationibus, E. G. Saltatione, Equitatione, Luctis &c., machinâ validè calefactâ, pori cutis aperti à ventis frigidioribus ſupervenientibus repentè obſtipantur, Sanguis à centro ad peripheriam citiſſimè progrediens in canaliculis condenſatur; Unde CELSUS *lib.* 2. *cap.* 1. *ex tempeſtatibus*, inquit, *aquilo Tuſſim movet, Fauces exaſperat, Ventrem adſtringit, Urinam ſupprimit, Horrores & Dolores Lateris & Pectoris excitat:* Hiſcè accedunt Cibi denſi, viſcidi, tenaces ac acerbi, aromatibus nimis conditi, carnium, abundanti pinguedine gaudentium, Abuſus: Inter Piſces Anguillæ & Mugiles damnantur: Crapula, Temulentia, Cacochymia ac Plethora quoque anſam huic morbo præbent, ut & Ira immodica, diverſi Morbi præcedentes, E. G. Cauſus, Inflammationes &c., ſic animadvertente GALENO *lib.* 5. *cap.* 6. *de locis affectis*, *Inflammationes portionis gibboſæ Hepatis facilè participantur cum Pectore, ut ex Hepatis inflammatione fiat Dolor Lateris.* Externæ etiam Injuriæ, Sc. Contuſiones, Pulſus, Caſus, hujus ægritudinis nonnunquam autores exiſtunt, cum, factâ Continui Solutione in Thoracis muſculis, Sanguis & Lympha, ex diſruptis vaſis extravaſati, uſquè ad cingentem Pleuram penetrant.

In vitio ergo ſunt in ſanguine Salia acria, rigida, cum portiunculis pituitoſis mixta; Hæc per Aörtam in Intercoſtales, figuræ conoideæ exiſtentia, à latitudine ampliorum diametrorum

ad

ad anguſtiores protruſa, partim propter craſſitiem ſuam internamquè gravitatem, partim propter membranarum arterioſarum reniſum in motu progreſſivo retardantur; Aut ob ſalium volatilium & ſpirituoſorum abundantiam Machina humana incaleſcit, Humores ſubitò circulantur, Pulſus percutientes animadvertuntur, ac integra maſſa ſanguinis æſtuans celeri per vaſa vehitur curſu, poſtquam à Corde premente è ſiniſtro ejus Ventriculo & Arteriâ Magnâ deſcendente in Intercoſtales & Diaphragmaticas potenter adactus eſt, ipſarum membranis præter ſolitum tonum extenſis, per poros ampliatos & apertos diverſi generis perſpirationes ſalinæ in interſtitia Pleuræ proxima evenire debent, undè Arteriæ vicinæ arctantur, Sanguis in iis exiſtens in motu progreſſivo impeditur, & Morbus ſummoperè in deterius ruit; Nam ſingula magna Arteria plures habens ramulos, horum aliquibus obſtructis, per reſtantes patulos tantum compellitur manare ſanguinis, quantum prius portabant omnes: Ex Machanicâ enim ſatis ſuperquè conſtat, quo plus aliundè humoris in unum rivulum derivatur, eo magis preſſio laterum ac motus celeritas augentur, ſecundum vulgatam illam Sententiam,

Anguſtia viarum compenſatur celeritate motus.

Deducta igitur per poros vaſorum Intercoſtalium laxatos ſalia, ſulphureis vel oleoſis particulis mixta & diverſis modis cuſpidata, ſecantia & pungentia, illicquè, aut propter Pleuræ compactiorem texturam, aut propter externum frigus retenta, ſua peculiari actione, vel exiſtente Pectoris calore in inteſtinum excitantur motum, diverſimodè in ſe invicem illiſa efficaciora redduntur, ac accreſcente ardore & acrimoniâ majorem requirunt locum, fibrillas Pleuræ extendunt, cuſpidibus hirſutis intra poros ſe inſinuando, eos occludunt, illincquè malum degenerat in inflammatorium ruborem, ardorem & tumorum, atquè per conſequens in Phlegmonem Pleuriticam.

§. 5.

§. 5.

GALENUS *Lib.12. Method.7. Signa Diagnoſtica Pleuritidis propter manifeſtam certitudinem declarat Scientifica*; Nam demonſtrationes Scientiarum præ cæteris Doctrinis ſummo veritatis fundamento nituntur; Exiſtunt ergo illius naturæ Signa ſubſequentia. 1°. Dolor urgens in Latere affecto, per ſalia pungentia & ſcindentia fibras Pleuræ nerveas cum rupturæ metu. 2°. Reſpiratio brevis, frequens vel celer, non ob totum reſpirationis organum affectum, at ob doloris in inſpiratione incrementum, à pulmonibus aëre inſpirato expanſis, Pleuram inflammatam urgentibus, productum; Poſtea per inſpirationem Thorax ampliatur, undè Coſtæ à ſe invicem dimoventur, & Muſculi Intercoſtales cum Pleurâ tenduntur, ac exindè Dolorum recrudeſcentiæ emergunt, quas cavere Æger conatur per reſpirationem parvam, verum quia aëris in pulmones influxus valdè neceſſarius ſit, ſinè morâ denuo inſpirare cogitur, & idcirco multiplices reſpirationes rependunt profundas, corpori ſano ſolitas. 3°. Febris invadit Continua, à ſalibus inflammantibus Pleuram, ſanguini ac ſpiritibus participatis & eorumdem Craſin alterantibus, undè ex motu illo perturbato Cordis conſtrictio irregularis, ac pulſus arteriarum nunc validior nunc languidior. 4°. Tuſſis in initio arida Thoracem concutit, poſt ſpatium aliquot dierum præterlapſum ſputa ejiciuntur modo cocta, modo cruda, tenuia, rotunda, pallida, ſubflava, viridеſcentia, fuſca, nigricantia, vel ſtriis cruentis variëgata, aut merè ſanguinea, vel purulenta, quia ob viciniam in veſiculoſam & teneram pulmonum ſubſtantiam Phlegmone propagatâ, arteriæ & venæ, ſolutionem continui paſſæ, ſanguinem & lympham in cellulas dimittunt membranaceas, illic poſtea inputridum pus mutantur. 5°. Urina eſt flammea & rubicunda, plerumquè abſquè hypoſthaſi, minus vel magis ſpumoſa, ſuper ignem detenta lympida permanens, turbatur ut plurimum per alcali fixi acceſſum, quæ turbatio denuo tollitur per acida. 6°. Lingua arida cum Siti auctâ.

Præterquam Symptomata ſupra allegata eſſentialia, multa adhuc Epigennemata Pleuriticos opprimunt, ut Paraphrenitis, Al-

vi Fluxus, Sopores, Rubores Oculorum & Genarum, Jactationes Corporis, Vigiliæ &c.; Machina enim à præcedentibus morbis magis aut minus potenter agitata, Craſium & Ætatis atque Tempeſtatuum anni diverſitates, pravorum, ſymptomatum ſyndromen cauſant, ad quæ prudens Medicus ſummoperè attendere debet.

§. 6.

Pleuritis periculi plena eſt, in acutorum, immo etiam peracutorum ordine jure merito annumeranda, aliquando brevi Ægros morti ſanctos tradit; nonnumquam ad aliquod tempus lethum extenditur; tranſit quandoquè in Peripneumoniam, Vomicam, Phthyſim vel Empyema, omnium facillimè in id, de quo *Paragrapho* 2°. locuti ſumus, quando nempè Pulmones cum Pleurâ in unam maſſam continuam concreſcunt. Phlegmata livida, nigricantia, purulenta ac fætida portentoſa, aut enim diſtinctorum ſalium heterogeneorum miſcelam deſignant, aut ab intenſiſſimo æſtu quaſi torrentur & exuruntur cum putredine & gangrænatione partis laborantis; Prava etiam ſputa rotunda, nam partes pituitoſæ ac viſcidæ, pulmonum bronchiis fiſtuloſis infartæ, tantum tenaces & glutinoſæ exiſtunt, ut tuſſiendo cum vi excretæ, attamen formam pertinaciter reſervant, ac indè ſummâ moleſtiâ cum vaſorum læſione & dolorum augmento ejiciuntur: Pleuritis humida benignior ſiccâ, nam in priori ſputa citius & facilius proveniunt, & cocta minori cum dolore eliminantur, quarè HIPPOCRATES *Coacar. Prænot. Text.* 381. *Morbi Laterales*, ait, *ſicci*, *& in quibus nihil exſpuitur*, *graviſſimi ſunt*, *metuendi quoque*, *in quibus dolores ad ſuperiora tendunt*, ac *Text.* 388. *Quibus in Morbo Laterali plurimus ex ſputo ſtrepitus in pectore ſonat*, *vultus dimiſſus*, *oculuſquè aurigine ſuffuſus & caligine obductus*, *in his Mors exſpectanda*; Inſuper *Prognoſt. Text.* 55. *&* 56. *Delirium*, *Inquietudo*, *Decubitus difficilis*, *non benè ſeſe gerere ad oblata*, *Vigiliæ*, *Calor ſummus circa Coſtas*, *Refrigeratio extremis in partibus ſunt peſſima Signa:* Linguæ ariditas cum ſiti primo inſatiabili, dein ceſſante cum Linguæ depreſſione & obſcuratione, perſiſtente tamen morbo, mala & conclamata denunciat omnia:

omnia: Urina craſſa, valdè ſpumoſa, obſcura, ad purpureum & lividum colorem pergens, coägulans ſuper ignem, non ſolvenda per acida, peſſima; Rutilans & diaphana vero optima; At tenuis & ſtraminea evadens, Convulſiones & Deliria deſignat præ foribus: Animi Deliquia, Memoria labilis & ſudor frigidus morbum morte terminant, ut & ſi Pulſus accedat inæqualis & intermittens, nunc languidus, tardus ac tremulus, nunc durus & celer, nunc interceptus.

§. 7.

Medicamenta ſalutaria abſque aliquâ morâ adverſus morbum, inducias minimè præbentem, in auxilium vocanda; Quam ob cauſam Phlegmonoideæ Obſtructiones ſunt reſerandæ, Acrimonia ſalium demulcenda, Dolor leniendus, Ardor febrilis temperandus, ut Reſpiratio in priſtinum reducatur: Judicio quoquè obſervandum, per quæ excretoria communia materiei peccantis eliminationem Natura tentat, cui remediis convenientibus Medicus ſuppetias affert, ut eo citius, tutius & jucundius Morbus curetur, ſicuti HIPPOCRATES rectè monet *Aphor.* XXI. *Sect.* I. *Quæ ducenda, ſunt eo ducenda, quo maximè Natura viam affectat, per loca lege Naturæ commoda*; Nam ſi neceſſariæ & futuræ expectorationis nulla prodeunt ſigna, illa blandè eſt procuranda: Diverſis enim modis Pleuritis terminatur, nonnunquam per inſenſilem reſolutionem vel tranſpirationem ſudoriferam, aliquando per ſenſilem inanitionem, ut ſæpiſſimè per ſputum, aut quoquè per urinam, quales obſervationes adducit HOLLERIVS, etiam per menſtruationem, uti FORESTUS affert *Obſerv.* 35. *Lib.* XVI., quandoquè per alvi depoſitionem, quale exemplum præbet VALERIOLA *Lib.* I. *Obſerv.* IV. Terminatur etiam in aliquibus per Suppurationem, aut in illo latere ægrotante, aut per metaſtaſin in pulmonibus, mediaſtino &c; Sæpe in tumorem durum, non facilè ſuperandum, tranſit: Igitur ſecundum varias haſcè ſolutiones Practicus auxilia ſua variabit.

Inter Remedia præcipua & in principio adhibenda eſt Venæ Sectio, tanquam fundamentum Curæ, plurimis Indicationibus

curativis conveniens; Depletis enim per Phlebotomiam vaſis ſanguineis, debilior evenit fluidarum & ſolidarum partium lateris laborantis preſſio, fibrillæ laxantur, ardor febrilis diminuitur, reſpiratio extenditur, dolores punctorii mitigantur: Quod ſi poſt primam ſanguinis miſſionem prædicta commoda non ſubſequantur, ac corpus ſit athleticum & plethoricum, inſtituatur ſecunda & tertia, habitâ ſemper virium & materiæ expectorandæ ratione, tam in Venæ Sectionum repetitione, quam ſanguinis abſtrahendi quantitate, nam ſignum eſt bonum, ſi poſt vaſorum depletionem ſymptomata ſenſim ac ſenſim diminuantur, ac in ſummitate ſanguinis abſtracti & jam frigefacti & condenſati appareat cuticula albicans; Indifferens autem eſt, in quo latere Vena ſecetur; Solatium enim affert, non ob longiorem aut proximiorem diſtantiam inter latus affectum & ſanum, at ſolummodo propter totius maſſæ ſanguineæ diminutionem. Dein quando alvus ſit adſtricta, præſcribatur in principio Clyſter emolliens ac laxans & ſimul carminans balſamicum, ex Fl. Melilot., Samb., Chamom., Sem. Cumini, Baccar. Junip., Oleo Hyper., Nuc. Jugland., Balſ. Sulph. craſſ., Thereb. Venet., Camph., Vitell. Ovor., Elect. Diaprun. Solut., Sale Ammon. &c., in Lacte Vaccino vel Sero ejus S. A. coctis & calidè injectis; Si autem hiſcè alvus non ſatis cedat, ad graviora purgantia ſenſim ac ſenſim eſt accedendum, per os ingerenda, præſertim cum vigor morbi decrevit & omnia ſymptomata mitiora evaſere. Interim internè pergendum cum Abſorbentibus terreſtribus & blandis Diaphoreticis ac Anodynis, ex Ocul. 69., Corall. Rub. & Perlis præparat., C. C. Philoſ. Calcin., Ebor. uſt., Antimon. Diaphor., Fl. Sulph., Benſoes, Rad. Contray., Croco, Theriacâ, Mithridat., Diaſcord. Fracaſt., Confect. Hyacinth., Sacchar. Perlat., Syrupo Violar., Althææ Fernel., Card. Bened., cum Aquis Antipleuriticis, aut Hyſſopi vel Mirthi &c. mixtis, ſub forma potionis vel mixturæ propinandis: Ad æſtum febrilem & ſitim temperandum, additur Lap. Prunellæ, cum Sal. Ammon. paratus, Nitrum Antimon. aut ſimplex purificatum, Sp. Nitri, Sulphur. per Campan. vel Vitrioli dulcificatus, Succi acidi vegetabilium, ut Granator. &c.; Acidorum & muriaticor. diureticor. Decocta, imprimis Rad. quinquè Aperient. Maj.

vel

vel Minor., ſi urinæ fluxus criticus obſervetur. Laudantur quoquè Julapia Roſacea ac Emulſiones ex Sem. Card. Mariæ & Bened., Papaver. Albi, Lini, quatuor Frigidis Maj. & Minor., Amygdal. D. D. &c., cum Aq. Hordei vel C. C. paratis, & cum Syrupo convenienti pectorali dulcificatis; Attamen nimius refrigerantium uſus improbandus, quoniam humores incraſſando phlegmata acceſſura prohibent, quæ prudentia circa calidorum præſcriptionem etiam quam maximè cordi eſt habenda; Hæc enim ſanguinis motum rapidiorem efficiendo, febrimquè augendo, materiem extravaſatam ſiccant, ſalia exaſperant, ac uno verbo ſymptomata in pejus ruere faciunt. Sæpe ſæpius Pleuritis ſolutionem acquirit per expectorationem, cujus promovendæ gratiâ, humores denſi & viſcidi incidendi & attenuandi ſunt, Bronchia pulmonum dilatanda ac lubrica reddenda, quod præſtant omnia Bechica & Pectoralia decocta ex Rad. Salſapar., Chinæ, Liquirit., Althææ, Ariſtoloc., Bardanæ, Conſolid. Maj., Irid. Florent., Herb. Tuſſilag., Heder. Terreſtr., Hyſſop., Violariæ, Althææ, Malvæ, Capill. Vener., Fænicul., Pulmonariæ, Scabioſæ, Verbaſci, Fl. Melilot., Papaver. Errat., Sambuci, Calend., Sem. Hordei mundati &c., cum Dactyl., Ficub. ping., Paſſul., Uvis Corinthiac., Jujub., Syrupo Scabioſæ, Botryos, Capillor. Vener., Glycyrrh., Hyſſop., vel Diacod. &c. edulcorata; In hoc caſu etiam conveniunt Linctus ex Cremore forti vel Oleo Amygdal. D. aut Lini recent. cum Syrupo Papaver. Errat., Saccharo Penidio, Althææ &c.; Ex quibus & ſimilibus omnibus Pectoralibus differentes Formulæ facillimè pro re natâ & urgente neceſſitate præſcribi poſſunt. Si phlegmata appareant floridè ſanguinea, tandem ad ſuppurationem tendentia, obviam eamus vaſa rupta leniter adſtringentibus, conſolidantibus, ulcus maturantibus ac detergentibus, quæ ſi in Tumorem durum concreſcunt, diſcutientia adhibentur, quæ in Practicorum ſcriptis ubiquè reperiuntur.

Ut autem felicem & integram proſperæ ſanitatis curam aſſequamur, externa auxilia etiam nullo modo ſunt omittenda, egregiè ea, quæ placidè & molliter diſcutiunt, cutim cum partibus ſubjacentibus ad transpirationem rariorem deducunt, thoracem ad multifarios ex tuſſi concuſſus perferendos emolliunt &

firmant: Exiſtunt autem talia Fomenta duplicia, Sicca nempè & Humida; Inter priora ſunt Furſur, Farina Tritici, Milii, Sem. Cumini, Fl. Chamomill. Roman., Samb., Roſar. Rub., Herb. Calaminthæ, Meliſſæ, Origani, Camphora &c. calefacta, laneis ſacculis indita & externè loco affecto applicata: Inter humidas Fomentationes HIPPOCRATES *Lib. de Victus Ratione* approbat Aquam calidam, *Cæterum*, ait, *Dolor Lateris ſivè ab initio fiat, ſivè poſtea, calefactoriis quidem primum non alienum eſt diſſolvere, ex quibus optima eſt Aqua calida, in utre, aut veſicâ, aut vaſe æneo, aut teſtaceo admota*, vel Spirit. Vini Camphorat., Aq. Theriacal., Ol. Lini, Hyper., Chamæmel., Lilior. Alb., Aneth., Ung. Althææ, Martiat., Pectorale, Populeum, Emplaſt. Meliloti, Mucilag., de Cumino, de Labdano &c.

§. 8.

Regulæ Diæteticæ ad Morbi jam exiſtentis ſublationem, magni quoquè ponderis ſunt: Aër ſit moderatus inter frigidum & calidum: Victus minimè plenus, at tenuis ac frugaliter parcus, aſſumendo ſalutare CELSI *Lib.* III. *cap.* II. Conſilium, *in Acutis*, monet, *morbis Æger ſerius alendus eſt, nequè niſi jam decreſcentibus; In Chronicis maturius, ut ſuſtinere ſpatium adventuri mali poſſit:* In principio, ubi Ardor febrilis invaleſcit, potat ſerum Lactis recens cum Lapide Prunellæ, Cereviſiam tenuem; HIPPOCRATES ſæpè ac ſummoperè celebrat Ptiſanam ex Hordeo cum Rad. Liquirit. vel Uvis Paſſis coctam; Conveniunt etiam potus Fab. Coffy cum Rad. Glycyrrhizâ, Herb. Theæ, Juſcula avenacea cum Paſſulis, Butyro inſulſo, Rapa cocta ac eorum Juſculum cum Saccharo Cando, Pruna dulcia, Hydromel, Ova Sorbilia, Vini uſus in fervore morbi vetitur, ſub finem autem conſuetis tantum rubri pauculum permittitur: Quietè decumbunt latere affecto, ob motum Coſtarum obſcuriorem, ac exindè minus dolentem: Alvus ſit facilis, laxior conſtipetur adſtringentibus balſamicis, conſtipata laxetur: Vigiliæ cum ſomno quadrant: Animus eſt tranquillus, Pathematibus triſtioribus haudquaquam movendus.

F I N I S.